

28^o - aut

DE LAUDIBUS
MARCHIONIS JOANNIS DE ANDREA

DOMO NEAPOLI

EX TROJAE COMITIBUS IN APULIA

EX DYNASTIS AREMANENSIO IN SAMNIO

A D

HIERONYMUM S. R. E. CARDINALEM

EJUSDEM PRAEGLARISSIMI VIRE

F I L I U M

Praeclarus preceptor vir, praecursor et iuxta,
Principes regum mira virtute colentes.
Trojanus philosofa infames initatus postures,
Graeciam, dicit ut non Hannazia nomen,
Graecum ad hanc oblitio nominis justus.

DE LAUDIBUS
MAGNORUM TERRARUM DE VERA
SACRA MARCHIA
EX HISTORIE CONTINENS IN AUTRIA
EX DIVERSIS ARRANGIIS IN SAVIO
D
MELANIAE R. E. GARDINERI
TITULUM

C A R I E N

Si tibi quae nuper sacris deprompta Camenis
Obtulimus nullo quamvis munuscula cultu
Excipere , ac tenui placuit favisse labori (1);
Haec etiam clari referunt quae facta parentis
Pulcra tui , trepidaque manu componimus ultro ,
Excussis dum blanda sinu fert otia curis
Villula , ne renuas , Praesul , contingere dextra ,
Atque oculis spectare piis ; sique ipse legendo
Nos tanto invenies oneri male viribus aptis
Nequicquam adjecisse humeros , laudesque paternas
Forsitan ingenii culpa minuisse , superbis
Tu bonus ac sapiens ausis ignosce , precamur ;
Quaque opus aggredimur devotam conspice mentem.

Principio (siquidem rerum experientia monstrat
Fortibus atque bonis fortesque bonosque creari)
Dicendum quo patre satus , qua matre Joannes
Ille tuus , quaeque ipse puer , dum sedulus hausit
Antiquae praecepta domus , ediscere ab ipsis
Sorte habuit castae passim exemplaria vitae.
Quare age tu nostri sumas exordia cantus
Praeclaris prognate viris , praeclarus et ipse ,
Francisce ingenii mira virtute colende ;
Tuque pudicitia insignes imitata parentes
Cajetana , dedit cui gens Ranuzzia nomen ,
Conjugis ac tanti merito connubia jactas.

(1) Vid. ephemeridas romanas queis titulus = *Album* = Ann. 1856. pag. 346.
et ann. 1857. pag. 60.

Omnigenae virtutis amor , quem diva medullis
Indiderat vestris primaevō flore juventae
Rellgio , proavūmque decus , vos omine jungi
Laeto equidem faustoque dedit ; nam fretus uterque
Moribus egregiis , patrio dum sanguine dignum
Pergitis exemplar vitae exhibuisse pudicae ,
Optatam vobis facilis clementia coeli
Indulsit sobolem , qua vestræ gloria gentis
Incorrupta viget , longumque vigebit in aevum.
O nimium felix , ac vere munere tanto
Dignus uterque parens ! puero cui brachia tendis ,
Amplexuque foves , magnæ stant praemia laudis
Haud peritura diu. Non hunc , seu fervidus annis
Artibus ingenuis discet componere mores ,
Seu potior mentis jam vi , firmaque juventa
Munia summa geret , saecli contagia laudent.
Sic placitum superis. Nec jam mora : dicite , Musae ,
Dicte ut assiduo puer hic molimine mentis
Protinus , imbellis simul ac adoleverit aetas ,
Abstinuit carpsisse viam , quae limite primo
Flore nitens facie male cautos fallit amoena ,
Deceptosque necat. Plaudenti dicte versu
Auspiciis utque ipse bonis asperrima quaeque
Aggressi alacri studuit contendere cursu
Qua datur introgredi sapientum regna , patentque
Infirmis obstrusa oculis arcana Sophiae ;
Utque novae tanto quae jam conamine Vicus
Doctrinae praecepta tulit pleno ebbit ore.
Exemplis monitus patriis , animoque volutans
Turpe sibi ni clara suae vestigia gentis
Invicto premeret gressu , vix prima subire
Olli sorte datum penetralia sancta Minervae ,
Arcanas optavit opes , quae lumine dio
Praefulgent , animosque trahunt , atque impiger hausit.

Non quae Grajugenum miro sapientia nisu
Excudit documenta prius , non quae tua posthac ,
Doctrinis armisque potens gens alta Quiritum ,
Invia sunt juveni , penito cui pectore fervet
Anxia ditandi ingenii et generosa cupidio .
Tempus erat miseris quo passim caedibus heu ! heu !
Litora Parthenopes , civili et sanguine foede
Turpari flebant trepidanti pectore matres ,
Regnaque dissolvi bellorum concita motu .
Haec super ingemuit vicina ob funera patris
Moestus adhuc juvenis , fatisque edoctus inquis ,
Et graviora timens , jactata excedere ab urbe
Instituit , tristesque oculis avertere clades .
Nec mora . Surrenti quae rura domestica praebent
Otia tuta petit ; vivoque incensus amore
Nocte dieque manu pretiosa volumina versans
Quae veterum congesta tenent inventa virorum ,
Notitias rerum felici detrahit haustu .
Anne loquar , placidae dum cara silentia villae
Incoluit , quas ipse sibi peperisse studebat
Divitias animi , vel quae fortuna laboris
Impensi praeclara tulit mox praemia laudis ?
Palladiis mire , coelo duce et auspice coelo ,
Perfunctus studiis , doctrinis ac prope dives
Omnibus (excoluit siquidem felicibus ausis
Et Sophiae et Themidos leges ritusque severos ,
Quaeque voluptatis causa canit alma Poesis)
Haud equidem , quamvis secretis abditus oris
Degeret , urbanae fugeretque negotia vitae ,
Sic jubar ingenii potuit morumque nitorem
Occulere , ut latebris virtutis denique tantae
Lux rutilans spatio non se monstraret aperto .
Ergo age magna tui subeas vestigia patris
Macte animo juvenis : nec jam maturior aetas

Expectanda tibi : Fernandi regis ad aures
E surrentinis pernici en fama volatu
Sedibus erumpens properat , suadetque recessu
Protinus excire , et patriam te adducere in urbem ,
Teque , sibi regnoque simul qui vinctus amore
Mente animoque vales , solemnii adsciscere jussu
Antiquis aetate viris , qui jura tueri
Consilio norunt , dubiasque resolvere lites.
Hinc tibi prima seges decoris , laudisque futurae.
Namque ubi paeclaros doctrina et moribus inter
Adscribi socios viridi tibi contigit aevo ,
Nedum oneri gessisse parem te , sed pede certo
Difficiles obiisse vias ubi condita juris
Regna latent stupuere omnes , et te patre dignum
Atque atavis , socii , cives , rex ipse tulere.
Haec facies rerum , subito quum Gallia bello
In tua , Parthenope , speciosa vireta furenti
Exsiliens cursu , solio decedere avito
Compulit , ac siculis regem considere terris ,
Teque novo parere homini , legesque subire
Militis externi , externo et te vivere cultu.
Proh scelus , atque pudor ! tamen heu ! sic impete diro
Conversis rerum vicibus , nec subdere multos
Colla jugo puduit , nec se ambitione tumentes
Turpibus officiis raptor iadjungere , seque
Servitio dignos , pejori ac sorte fateri.
Non ita non equidem hic noster , qui sancta refringi
Regis jura sui violentis horruit armis ,
Et captare nefas duxit quae saepius ultro ,
Exoptanda quidem decore et praedivite quaestu ,
Munia protulerat regni qui frena gerebat.
Tantus amor recti , virtutis et aemula virtus
Antique ! namque ille cito digressus ab urbe ,
Inque suburbanis iterum placida otia quaerens ,

Propositi , fideique tenax , curisque solutus
Sponte decem , studiis vigilans , ibi sustulit annos.
Jamque dies aderat , qua tandem sede recepta
Munifica rex ipse manu daret ampla merenti
Praemia Fernandus. Fidei nec defuit hercle
Hic tantae : regni siquidem vix carpere habenas
Litore trinacrio rediit , campestria jussit
Otia deserere , et senis volventibus annis
Fungier officio cui summa est credita cursus
Publici , et ingenio dignas ibi condere leges ,
Quae simul et populi , et regalis commoda gazae
Prospicerent. Dubiis nec jam rationibus ipse ,
Regis jussa sui captans , hoc munere sese
Et dignum exhibuit , quin et majoribus aptum.
Namque ipse assiduos impendens rite labores
Sic vires oneri applicuit , sic mente animoque
Institit , ut populi et regis sibi pectora amore
Vinxerit , ac celeri cursu pervenerit illuc
Robur ubi tantae fidei , ac solertia mentis
Luce sua primis fulgeret honoribus aucta.
Seditio sed enim patriis quae irrepserat oris ,
Atque iterum , vafris auctoribus , inclyta regna
Miscere , et regem depellere contendebat ,
Ipsius ante novis meritis clarescere nomen
Causa fuit veterem in dominum , qui protinus inde ,
Mensibus elapsis paucis est redditia postquam
Tuta quies , jussit curare impendia regni
Proventusque sui ; populari namque tumultu ,
Milite et accito viduata aeraria nummis
Insignem probitate virum ingenioque petebant ,
Cujus consilio , atque animi virtute volentis
Restitui possent , cupidasque avertere fraudes.
Munere quo fungi jussus , mirabile dictu est ,
Ut vigil ac prudens , ut servantissimus aequi

Nedum versatas comedonum diruit artes,
Rebus et angustis valuit succurrere fisci;
Sed simul ut populi incolumis fortuna maneret,
Cresceret atque novis haud vectigalibus auctum
Praestitit aes regni, quod nuper sumptibus impar
Mox etiam sufficit opes quibus ampla paterent
Tecta sodalitiis sacris, ubi sumeret apte
Pinguia doctrinae ac morum praecepta juventus.
Haud tamen interea, quamvis deducta ruinis
Restitui atque iterum florere aeraria coepit
Arte viri tanti, nebulonum turpiter agmen
Abstinuit scrutare vias, si forte daretur
Ingluviem explere, et subito ditescere lucro.
Spes ea nec cecidit foedo frustrata labore.
Namque externorum quae jam subrepserat astu
Conjurata cohors, iterumque ad summa vocati
Munia socordes homines, lentique, rudesque,
Quorum desidia jam tum res publica pessum
Iverat, inque novos scopulos peritura ruebat,
Obtulerant aditus optati ad pabula quaestus.
Senserat haec prudens rerum discrimina civis,
Indoluitque sibi sociisque negotia regni
Esse relinquendum, moerenti principe quamvis,
Atque bonis; iterumque procul digressus ab urbe,
Otia nota petens, placido se rure recepit.
Haud aliter, si vera ferunt, antiquior aetas
Insignes virtute viros, ubi fata negarent
Illos utiliter patriis succurrere rebus,
Abdita camporum penetralia quaerere vidit.
Haec inter gravibus fisci fortuna ruinis
Hactenus industri, vigilique erepta magistro,
Imbelli postquam dextrae est concredita, sensim
Coepit praecipiti lapsu decurrere ad imum.
Hinc cives muissare omnes, hinc poscere votis

Ne rursus labefacta diu res publica iniret
Perniciem ; sed acri ingenio commissa vigeret ,
Quo duce visa modis fuerat florescere miris.
Audiit haec nuper solio regnoque potitus
Franciscus ; nec te quamquam decedere campis
Saepius expeteret , primisque apponere dextram
Muneribus regni , prolatos carpere honores
Vidit ; namque viris puduit , meritoque , Joannes ,
Te jungi , quos ipse tuis desciscere noras
Consiliis , patriamque novis urgere periclis.
Ast ubi Fernandi mens provida et aequa secundi ,
Praepropero postquam Franciscus fine quievit ,
Enituit solio , et latebris te excedere jussit
Immanesque iterum fisci sarcire ruinas ,
Impiger aggrederis munus , firmissima quando
Spes oritur nullo procedere ut obiice tandem
Possit navigium : ac duce te per aperta viarum
Publica res laeto visa est incedere cursu.
Quid memorem ut toties exhausta pecunia rursus
Curis aucta tuis nedum velut ante mederi
Vulneribus valuit fisci , plebemque tributis
Exonerare novis , sed magna impendia ferre
Quum sacra Fernandus subiit connubia tecum ,
Christina , heu ! nimium rapidis occumbere fatis
Jussa Dei nutu , superasque evadere ad arces :
Quumque tibi , soboles generosa Theresia regum ,
Sorte datum est viduis thalamis succedere , teque
Illius antiquae pietate et nomine dignam
Monstrare , Austriadum steterunt qua vindice regna.
Quid referam patefacta novo commercia ritu ,
Quid populos diro servatos funere nostras
Indicus heu ! miseras morbus quum percultit oras ;
Quid pontes ferro extractos , quid strata viarum ,
Quidve lacus ulva , saxis , coenoque redemptos ,

Ceteraque assiduis curis et acumine mentis
Parta viri tanti , patuit quo sospite rebus
Haud desperandum trepidis ubi maxima virtus
Suppetit , ac regni roburque decusque tuetur ?
Non ideo , quamvis mentem seges urgeat ingens
Factorum , nec cuncta meis amplectier optem
Versibus , insigni sileam quae gesserit arte
Quum sacra rex illi curare negotia jussit.
Magnum opus , ac salebris plenum ! civilia namque
Jura sacris adeo secernere limite certo ,
Ut satis et regno fiat , fideique , quis unquam
Audeat ? Ast animi pietas , ac intima juris
Cognitio durum per iter sic tramite recto
Progredi , et anfractus dederunt vitasse Joanni ,
Ut simul et regni , et fidei veneranda potestas
Tuta foret ; dubiasque dein , si forte redirent ,
Hinc atque illinc primum esset rescindere lites.
O utinam haec , laxo increpitant qui gutture , et acres
Sedis jura tuae nostris heu ! Roma diebus
Servitio premere intentant , exempla tuentes ,
Sacrilego abstineant ausu , et melioribus inde
Auspiciis fidei et regni pia foedera discant !
Interea nostri sit pars extrema laboris
Dicere sublimi ut micuit tuus , optime Praesul ,
Relligione parens ; totisque ut viribus instans
Adfuit egregiis vario qui nomine doctis
Invigilant chartis , rerumque arcana requirunt.
Haec equidem , veteris fuerunt quae gloria saecli ,
Proh pudor ! huic nostro sordent , cui sola voluptas
Divitiae , et pravi mores : ast hinc decus omne ,
Praesidiumque tulit tuus ille in rebus agendis ;
Quique puer didicit fidei praecepta vereri ,
Et claros optare viros , dum maxima gessit
Munia non ullis studiis , curisve pepercit ,

Ut sibi Relligio dux inclyta jugiter esset,
Utque potens quisque ingenio, et virtutis amore,
Praemia digna ferens, alaci contenderet usque
Consilio ac studio rerum cognoscere causas,
Ac stimulis urgere animos, vestigia patrum
Certatim ut premeret gressu benedocta juventus.

Haec bonus ac prudens egit vir; nec mala quamvis
Saepe cohors rabido discerperet invida morsu,
Auderetque procax stultis vexare cachinnis
Quae puero ingenuo similis pietate gerebat,
Proposito abstinuit totis insistere nervis.
Immo etiam ab tenero coluit quam sedulus ungui
Ore pudicitiam, tardis ita protulit annis,
Ipsius ut nunquam castas quod laederet aures
Exciderit labiis, nec veri abscondere vultum
Verborum involucris unquam fas esse putari.
Nec mirum sane, siquidem documenta secutus
Casta patris, sanctosque tuos, Lucretia (1), mores,
O equidem claris Marsorum exorta dynastis,
Auspiciisque pii tali bene juncta marito!
Duxerat ipse sibi valde, meritoque pudendum,
Ni domus illustri proavorum sanguine creta
Lumine adacta novo fama succresceret usque.

Haec mens, haec illi fuit una ac firma voluntas,
Fovit et assiduo studio, statuitque foveri
Tempus in omne suis, quos haud praedivite censu,
Quem auri sacra fames cogit, sed crescere acervo
Virtutum docuit puraque excellere laude,
Explicitque viam: primo nam providus aevo
Natos ipse jubens generosos inter ephebos
Artibus egregiis, et castis moribus Urbe (2)

(1) Lucretia Rivera ex Marsorum Comitibus V. C. Lelli Marchionis filia.

(2) Tres tanti viri filii in Nobili Pontif. Collegio Clementino de Urbe sodalibus Somaschianis jam a Clemente VIII. commisso religione et bonis artibus informati muneribus publicis integre et sapienter obeundis claruere.

Imbui , et hinc laeto procedere ad ardua cursu ,
Ingenio et virtute decus , nomenque petendum
Asseruit. Tanti nec spes et cura parentis
Visa est expendi vacue ; sed fructibus almis
Ocyter expleri coepit ; nam praecoce quamvis
Non Funere natorum plures defleret ademptos ,
Ac viridi fatis concederet ipse senecta ,
Ipse tamen patriae laudis pubescere in illis
Semina prospexit ; quae te mox omine laeto
Muneribus functum gravibus juvenilibus annis
Purpureos inter dignum considere Patres
Exhibuere Pio , romano ut nobilis ostro
Cresceret usque novis meritis tua fama per orbem.
Quare age , dum nostro finem posuisse labori
Hic juvat , ac laudum gracili vinxisse corona
Patris gesta tui , memori tu , Praesul , amore
Signa haec obsequii nostri , sint utpote parva ,
Excipias , ac luce velis circumdare honesta ,
Quae nitet ore tibi. Tanti paeconia patris ,
Ut facis , ipse tuis auge virtutibus , auge
Sanguinis antiqui decus immortale , novique
Sint nobis , qui te cordis veneramur ab imo ,
Sint tua facta seges pulcherrima et inclyta cantus.

THOMAS BORGOGNO

E CONGREGATIONE SONASCHENSI.

28°-int

DE LAUDIBUS
MARCHIONIS JOANNIS DE ANDREA
DOMO NEAPOLI
EX TROJAE COMITIBUS IN APULIA
EX DYNASTIS AREMANENSUM IN SAMNIO
A D
HIERONYMUM S.R.E. CARDINALEM

EJUSDEM PRAEGLARISSIMI VIRI

F I L I U M

Kodak Gray Scale

C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19